UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Iodocvs C. 13. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70962

Visual Library

toribus mortem, Syracusanis præsentem opem, Ecclesiæ pacem vaticinatur. Denique dum judex in vinculis Romam abducitur capitis damnandus, divino cibo recreata, cælo Sidus, ut dixi, inseritur. Sed & tibi illîc adhuc locus est Mariane. Stella & tu es, si virgo es. Fuisti? Ah! stellam cælo crecas decidisse. *Ex Surio.*

S. IODOCVS C. 13. *Decembris.*

NOvam litem audite Mariani, quam IODOCVS Angliæ Regis filius germano fratri de regno movit, non iter hoc eriperet, sed uter cederet alteri. Fugiebant novo more non opes Dominos suos, sed Domini opes suas, & quam aliis invitis mors auferr coronam, ultrò ab his abjiciebatur. Deniq; Rex sibi videbatur, non qui regnum conctus adiit germanus, sed IODOCVS, qui regno subduxit sese, & in Galliam aufugit. Hic ille sibi scilicet imperavit, sed & feris non multò pòst, quas obsequentes illi cælum voluit esse. Illud perjucundum accidit, cùm fami placandæ ultimum subsidium panis unicus in penu fuit, & hunc in IV. partes à IODOCO sectũ CHRISTVS alium identidem atque alium pauperẽ præsefereus unus omnes piissimâ fraude asportavit. Negabãt id rectè factum esse discipuli. Sed rectiùs illos edocuit Ma-

Magiſter, cùm pro IV. è pane fruſtulis, ſecundo flumine deſcendere ſubmiſſas à cælo totidem naviculas frumentarias oſtendit. Demum ſacris operanti manus è cælo bene viſa eſt dicere, quæ quòd terrena regna deſpexiſſet, cælestia promiſit. Hęc demum placuere IODOCO, potituſque his eſt anno DCLIII. LX. omnino annos in tumulo integer, virtute in IODOCO faciente, quod in viris principibus aliis balſama faciunt. *Ex Flor. Abb.*

SS. NICASIVS EP. ET EVTROPIA V. MM. 14. *Decembris.*

QVid ni animos etiam tu Lector ad pugnam ſumis, toties qui ſanguinem Martyrum vides? Hic NICASII Rhemenſis Pont. & ſororis ejuſdem germanæ EVTROPIÆ eſt. Fudit Attila, ebrius jam dudum ab alio. Rem breviter ſic habe. Flagellabat Gallios Dux barbarus, jamque Rhemenſibus etiam malum minabatur, cùm cives ad aſylon ſuũ NICASIVM confugerunt. Ille exitium urbi vaticinatus edixit peccata eſſe, quæ Attilam armaſſent; hæc ſi ponerent, illum quoque exarmandum. Interim brevi morte æternã ut redimerent, ſuaſit, neque jam pro ſe hoſti, ſed pro hoſte Deo ſupplicarent. Se vitæ hucuſq; ducẽ, nõ abnuere, quin mortis etiã eſſet. Ita latus EVTROPIA